

13

1781,2

14

DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA

DE

VVLNERATIONVM SATISFACTIONE

E GERMANORVM LEGIBVS

CAVTE DERIVANDA

QVAM

DIVINIS AVSPICIIS

AVCTORITATE

INCLYTI ICTORVM ORDINIS

PRO LICENTIA

SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES

AEQVE AC PRIVILEGIA DOCTORALIA

RITE CONSEQUENDI

PUBLICE DEFENDET

IOANNES ANDREAS FRIEDERICH


NORIMBERGENSIS



D. xxx APR. CLOCCCLXXXI

ALTDORFII

IMPRESSVM LITTERIS MEYERIANIS



191

DISSERTATIO IN AVOCARIA IASPIDICAE

DE

AUTORE RATIONUM
SATISFACTIIONE

E GERMANORVM LEGIBVS

CIVITATIS BEROLINENSIS

GRAM.

DIVINIS VASICIS

ACTOLOLITATE

INCIVITATIS CIVICARVM ORDINIS

PRO LICENTIA

SUMMOS IN AUTROGAE IURE MONSORES

VERGAE AC PRATICAE DOCTOLARIA

RITE CONSECRANDI

PARENTIC DILECTIENS

JOVANNIS ANDREAS FRIEDRICH

MONACHENSENSIS


Ex. xxx. AM. 1790. 1790. 1790.

VILDOORTII

FELICISSIMA ET LITTERIS MELLITISSIMA

ISACRI ROMANI IMPERII
PERILLVSTRIS AC LIBERAЕ
REIPVBLCAE
NORIMBERGENSIS
S E N A T V I
SPLENDIDISSIMO
PERILLVSTRBVS
AC GENEROSISSIMIS DOMINIS
DOMINIS
D U V M V I R I S
T R I V M V I R I S
S E P T E M V I R I S
C O N S V L I B V S
S E N A T O R I B V S
PATRIBVS PATRIAЕ
OPTIMIS
GRATIOSISSIMIS
LITTERARVM PROTECTORIBVS
MAECENATIBVS SVIS
INDVLGENTISSLIMIS

REGIMEN FELICISSIMUM ET TRANQVILLVM
INCOLVMITATEM INCONCUSSAM
ET
VITAM LONGAEVAM
GENEROSISSIMARVM FAMILIARVM
SALVTEM AC PERPETVITATEM
DEO OPTIMO MAXIMO
PIE ADPRECATVRVS
D. D. D.
TANTORVM NOMINVM
TRIVMVIRES
SEPTEMVIRIS
CONSALIBAS
SENATORIBAS
PATRIBAS PATRIAE
OPTIMIS
GRATIOSISSIMA
LITTERARVM PROTECTORIBAS
CVLTOR DEVOTISSIMVS
IO. ANDREAS FRIEDERICH
NORIMBERGENSIS



INTROITVS.

Inter uarias illas, quas Iurisprudentia nostra passa est, atque ad
huc patitur, perturbationes, incongrua diuersarum legum, de
eadem re quidem disponentium, ast sub diuersis societatis ciuilis
incrementis ac formulis compositarum applicatione et iuris pree-
sertim romani, germanici atque canonici commixtione, nescio an
ulla alia maiorem iuris fluctuantis incertitudinem efficerit, quam
uariorum remediorum ad uindicandas iniurias, et laeorum satis-
factionem priuatam tendentium, confusio. Statuimus, processu
inquisitorio iam dudum in Germania introducto, cuius Iudici fa-
cultatem competere, propria autoritate et sine ullius accusatione
iniurias poena coercendi, eoque ipso modo salutem publicam, pa-



cemque scrupulosiori custodia, quam quidem, cura omni non nisi
 priuatorum arbitrio relieta, exspectari potest, tuendi. Prostant
 deinde ex romanis legibus uaria remedia rei persecutoria, ad re-
 stitutionem damni, laeso illati, tendentia. Praeterea autem in iis-
 dem non solum legibus, sed et germanicis traduntur aliae adhuc
 persecutionum species, ad poenas priuatas exigendas comparatae,
 sed ad primordia societatis civilis, ubi libertatis naturalis studium
 praeualuit, et omne publicae potestatis augmentum inuidia exceptum,
 efformatae. Iam uero in tanto iuris confictu, cum insuper ad pacem inter seruicos utriusque iuris defensores restauran-
 dain ex utroque nonnunquam placita simul reciperentur, mirari
 haud debemus, si iniurians saepe triplici aut ulteriori uirga caedi
 uideatur, quamuis ob mutatam temporis rationem haud efficaci
 atque hodierno poenarum fini parum accomodata. Sed missa ge-
 neraliori huic rei inspectione, ad eam nunc quaestione curatus
 indagandam me conuerto, cui praefentes pagellae destinatae sunt,
 num scilicet vulnerans ad pretium quoddam pro doloribus a uul-
 nerato passis soluendum teneatur. Occasionem huic quaestioni,
 a Ielis antiquioribus iam agitatac^a), sed nondum tamen satis ex-
 cussae, denuo retractandae nuper dedit celeberrimus QUIISTOR-
 PIUS peculiari commentatione: *Ob derjenige, der ohne sein Ver-
 schulden verwundet oder geschlagen worden, unter dem Namen des*
CETIMUS

Schmerz-

Schmerzgeldes eine Vergütung zu fordern berechtigt seye?^{b)}) ubi sententiam suam olim negatiue propositam^{c)} ita immutauit, ut nunc sine omni limitatione vulnerantem non solum ad impensas curae, damnaque operarum cessantium, quae sub actione legis aquilie utili iure quoque romano comprehenduntur, refundenda; sed et ad pretium quoddam vulnerato pro doloribus soluendum, cuius determinatio et moderatio praecipue ab arbitrio iudicis pendeat, condemnandum esse censeat, nisi hic propria culpa occasionem dederit.

a) Conf. PETR. MÜLLER de pecunia doloris.

b) Extat in den Beiträgen zur Erläuterung verschiedener mehrentheils unentschiedener Rechtsmaterien aus der bürgerlichen und peinlichen Rechtsgelahrheit. P. II. Rostok und Leipzig 1778, num. 7. p. 116.

c) Grundsäze der teutschen peinlichen Rechts. Edit. de a. 1770. §. 259.

§ II.

RATIONES CELEBERRIMI QVISTORPII
PRAECIPVAE RECENSENTVR.

Nempe ad stabiliendam affirmatiuam illius quaestioni decisionem sequentibus praecipue utitur rationibus et argumentis celeberrimus QVISTORPIVS, et quidem prouocat I. ad communem fori usum atque uniformia ictorum maximi nominis testimonia,



stimonia, quibus pro satis comperto ac euicto haberi possit, ueterum Germanorum morem, quo solemne semper fuit uulneratis, compositionem quandam seu emendam, sub uariis nominibus occurrentem a uulnerante exigere, usque ad nostra tempora esse custoditum, et continua Praxi seruatum. Neque etiam negari potest, de hodierna illius iuris germanici applicatione innumeris extare decisiones practicas pecuniam doloris adiudicantes ^{a)}). II. Alterum argumentum depromitur ex Constitutione criminali Carolina, ubi de remediis aduersus iudicem competentibus ita Imperator differit:

Wo nit zuvor redlich Anzeigung der Misthat, darnach man fragen wollt, vorhanden, und beweist wurde, soll niemants gefragt werden. — Wo auch eynche Oberkeyt oder Richter ein söllichen übersüren, sollen die dem, so also wider recht on die bewisen Anzeigung gemartert wer, seiner schmack, schmerzen, kosten und schäden der Gebür ergezung zuthun schuldig sein. Es soll auch keyn Oberkeyt oder Richter imm disem Fall keyn vrphede helfsen schützen oder schirmen, daß der gepeinigt sein schmack, schmertzen, kosten und schäden mit recht, doch alle thäliche handlung ausgeschlossen, wie recht, nicht suchen möge. unde etiam a Iudicis iniuria multo magis ad alias concludi posse uidetur. non Denique III. tale dolorum pretium putat facillime ^{sinomili} con-

9

conciliari posse cum actione iniuriarum aestimatoria legibus romana-
nis fundata. Constat enim, Praetores, postquam taxationes iniuria-
rum in XII. tabb. definitae in desuetudinem abierunt, permisisse
illis, qui iniurias passi sunt, eas aestimare, ut iudex uel tan-
tum condemnnet, quanti iniuriam passus aestimauerit, uel mi-
noris, prout ei uisum fuerit. *In summa enim sciendum de omni iniuria eum, quā passus est, posse uel criminaliter agere uel ciuiliter.*
Et, si quidem ciuiliter agitur, aestimatione facta, secundum quod dictum est, poena reo imponitur ^{c)}. Qualis aestimationis facultas, praeter
criminale iudicium, lege quoque Cornelia speciatim in iis casibus
taeso competere debuit, si quis pulsasset aliquem, uel uerberasset,
aut in domum alienam ui intrasset ^{d)}. Iam uero, cum licuit
iniuriae aestimatio, a quo uisum dolorum passorum rationem
habitam fuisse, facile existimandum est.

a) SIMON A GROENEWEGEN *de legibus abrogatis in Hollandia ad*
Dig. L. IX. t. 2 et 3.

VOETIVS *Comment. ad D. t. ad leg. aquil. § II.*

STRYK *in V. M. ad eund. tit. § 10.*

CARPZOVIVS *Praet. rer. crim. qu. 99 num. 43.*

b) S. F. BOEHMER *in obs. ad CARPZOVIVM qu. 99 obs. I.*

v. PVFFENDORF *Obs. iur. univ. T. IV obs. 51.*

MEISTERI *rechtliche Erkenntnisse und Gutachten in peinlichen Fällen*

dec. 30 n. 22.

KOCHIVS *Inst. iur. crim. § 426.*

b) C. C. C. a. 20,

B

c) L. 7.

- c) L. 7. 8. 9 et 10 I. de iniuris.
d) L. 37 D. de iniuris.

§ III.

IMPUGNATVRILLA SENTENTIA, ET IN QVO GENVINVS
CONTROVERSIAE STATVS CONSISTAT; NOCIMUS
DISQVIRITVR.

Quamuis autem pretii huius pro doloribus a vulnerato passis
adjudicandi tam usus forensis, quam obligatio communis ex ar-
gumentis hoc usque prolati satis patere uideantur, illi tamen
cel. QVISTORPII sententiae obstant uaria dubia, quae tanti
momenti sunt, ut penitorem atque modestam eorum indagatio-
nem Specimine inaugurali edendo haud plane indignam fore,
putauerim. Sed ante omnia genuinus controversiae status cura-
tius fermundus est. Nempe plerique, in quorum scriptis huius
rei mentionem factam reperi, diuersas plane causas, scilicet cic-
tricum acceptarum, atque deformitatis aestimationem cum dolo-
rum computatione admodum confundunt, et quod intuitu prioris
membri principiis rationabilibus conuenire, et, si non legibus ro-
manis, Germanorum tamen moribus usuque forensi comproba-
tum esse censem, idem et intuitu posterioris indistincte tradunt.
Eadem ratione alii, cum pro doloribus aestimationem quandam
adjudicandam esse negant, simul etiam cicatricum et deformitatis
pretium

pretium simpliciter reiiciunt. Ego uero insignem inter utraque
 momenta diuersitatem animaduerti, et quidem nonnunquam cicat-
 tricum deformitatisque calculum instituendum, dolorum autem pre-
 tium simpliciter negandum esse, puto. Tendit enim actio rei
 persecutoria legis aquilae utilis non solum 1) ad impendia cu-
 rationis, et 2) damna ex operis parentibus et caritatis oriunda^a),
 sed et 3) ad reliqua damna resarcienda, occasione uulnerationis
 passa^b). Iam uero, quamuis leges romanae innuant, *cicatricum*
 aut *deformitatis* nullam esse aestimationem, quoniam liberum cor-
 pus talem non recipiat, id tamen Iustis romanis in mentem tan-
 tum uenit, absolutam membrorum aestimationem ad certum
 quoddam pretium, quale circa animalia et seruos uenditioni ob-
 noxios locum habuit, fieri non posse. Cum autem occasione
 cicatricis aut deformitatis uulneratione acceptae, aliud quis dam-
 num simul passus est, tum et damni huius et quod ad in-
 teresse spectat, aestimationem fieri et reparationem peti potuisse,
 ex tota iuris ac speciatim legis aquilae analogia dubitari uix
 potest^c). Hinc recte insertur, non solum uirgines aut uiduas,
 quibus forma pro dote est, occasione nubendi eo modo defrau-
 das, sed et uiros ac iuuenes pro re nata damni aestimationem
 instituere posse, quae tamen inepite cicatricis aut deformitatis
 pretium uocatur, quum ea tantum damna, quae occasione talis



uulnerationis concurrunt, in computum uenient, ideoque casus innumeri existere possunt, ubi ob cessans tale damnum cicatricum et deformitatis tamen, quantacunque sit, ratio non habetur. Sed ad eam classem neutquam dolores, quibus patrimonio et quaestui nil decedit, eorumque computatio spectant, quam hodie simpliciter negandam esse, in sequentibus ulterius demonstrabo.

a) L. 7 et 13 D. ad L. aquil.

b) L. 3 D. si quadr. pauper. fec. dic.

c) Habetur enim in lege aquilia non solum peremti aut uulnerati corporis ratio, sed et eius damni, quod illius occasione datum est L. 21 § 2 D. ibid. § 10 I. h. t. ueluti si quis ex comoedis aut symphoniacis aut gemellis aut quadriga aut ex pari mularum unum uel unam occiderit, non solum peremti corporis aestimatio facienda est, sed et eius ratio habenda, quo cetera corpora depretiata sunt, L. 22 § 1 D. ibid. § 10 I. eodem, uel si seruum heredem institutum ante quis occiderit, quam is iussu tuo hereditatem adierit, non tantum serui occisi, sed et hereditatis amissae ratio habenda est, L. 23 pr. § 1 et 2 D. eodem,

§ IV.

ORIGO PRETII, QVOD IN GERMANIA das Schmerzgeld VOCATVR.

De iustitia uel iniustitia pretii pro doloribus a uulneratis passis adjudicari soliti, quod uulgo *Schmerzgeld* uocatur, solidum

iudi-

iudicium ferri uix potest, nisi ad origines illius inuestigandas ante omnia nos conuertamus. Illae uero ex eodem fonte deriuandae sunt, unde generatim et reliquae compositiones pecuniariae ortum traxerunt. Notissimum est, uteres Germanos, qui nunquam fere, nisi cum externa quaedam uis repellenda esset, communibus familiarum confoederatarum, consiliis viribusque egerunt, atque societatis ciuilis imaginem repraesentarunt, intus nulla fere uincula ciuilia admisisse; sed libertatis naturalis studium ad extreum usque gradum coluisse ^{a)}). Ergo, cum in tali republi-
ca, quae, externa tantum necessitate urgente, societatis ciuilis seu
potius confoederationis ostendit characteres, quaeuis iterum fa-
milia proprium statum formaret, facile existimari potest, inter
cuiusvis familie confortes Patremfamilias auctoritate sua pleraque
constituisse, diuersarum autem familiarum lites eadem ratione mo-
doque, quo gentes iura sua tuentur, bello armisque suis fini-
tas ^{b)}). Hinc ea tantum facta, unde aduersus integrum familiarum
systema hostilis apparebat animus, publicae omnium vindictae sub-
iecerunt, ideoque TACITVS refert proditores et transfugas suppli-
cio, publica auctoritate illato, facinus Iuisse ^{c)}), quod tamen iterum
magis belli quam poenae proprie talis habuit speciem. Circa reliqua
facta hostilia, quibus singulae tantum petebantur familie, speciatim
homicidia, uulnerationes etc, nullam admisit publicam animaduersio-



nem imperfectus rudiorum hominum, ad quaevis instituta, saluti publicae firmandae inferuentia, stupentium, deinde metuentium, nexus, quorum omnium nemo, nisi ipse Iaſus cum illius familia vindictam bello priuato tam diu aduersus alterum exercuit, donec alterutra familia victoriam reportauerit, eaque ratione aut simili malo inflicto ſanguinis vindicta exſatiata uel ſatisfactione pecuniaria familie Iaſae pro danno illato praeflita pax reſtituta fuerit ^{a)}. Hinc ad omnes Iaſionum ac uulnerationum ſpecies applicanda ſunt, quae TACITVS ^{e)} commemorat: *fufcipere tam inimicitias ſeu patris ſeu propinqui, quam amicitias neceſſe eſt.* Nec implacabiles durant — luitur enim homicidium certo armentorum ac pecorum numero, recipitque ſatisfactionem uniuerſa domus, utiliter in publicum, quia periculofores ſunt inimicitiae iuxta libertatem. Clarius autem item scriptor ait: *ſed et deliſtis leuioribus pro modo poenarum equorum pecorumque numero conuicti mulcantur* ^{f)}. Postquam enim ſequenti tempore antiqua familiarum ſystemata in ſocietatis ciuilis atque reipublicae formulam magis coaluere, et, inueniens magistratibus auctisque corum iuribus, imperium quoddam ciuile magis conſpicuum fuit, deinde et inueterata illa conſuetudo, nullis limitibus, niſi quos uirium infirmitas posuit, circumſcripta, illud uitium intolerabile, ad euertenda quaevis ſocietatis in euntis incrementa tendens, progenuit, quod illius inimicitiae bellicae lique

lique priuati effectus ad uniuersae nonnunquam familiae, imo interdum innocentis ruinam ultra finem perennarent, tum magistratus sensim sensimque inuecti, iungendo belligerantium animos ad certam transactionis summam, arbitros primum, deinde, magis magisque in praecipuos uulnerationum casus certain atque perpetuum membrorum aestimationem definientes, iudices tandem egerunt, ad quam exigendam ex laesi bonis, si judicis auxilium in promptu hand erat, aut non sufficiebat, ne tunc quidem, uinculis ciuilibus arctius constrictis, belli priuati facultas cessauit ^{s).} Igitur in antiquis legum germanicarum compilationibus speciatim SALICAE ^{b)}, RIPVARIORVM ⁱ⁾, ALAMANNORVM ^{k)}, BOIVARIORVM ^{l)}, BVRGVNDIONVM ^{m)}, FRISIONVM ⁿ⁾, SAXONVM ^{o)} etc. ad ridiculam usque subtilitatem determinatum inuenimus ^{p)}, quid pro quauis uulneratione corporisque mutilatione pacis et redimenda persecutionis causa solui debeat, quorum tamen genuinam rationem obseruauit cel. SCHMIDIVS, qui de ea uulnorum aestimatione ita eleganter differit ^{q)}, die Deutsche unterscheiden sich durch die erstaunliche Zergliederung der Unbilden, wie z. e. der Ersatz muß gemacht werden, bey einer jeden Art der Verlezung am Körper, die nur zu erdenken ist, wie wann Blut vergossen worden, wann der verletzte Theil nur blau geworden, wann ein Bein herausgeschen, wann ein Bein gebrochen, wie es mit mit
stechen,



slecken, bauen, schlagen zu halten, wann ein Aug, Ohr, Finger verletzt warden etc. diese Art der Gesetzgebung war ohne Zweifel eine Folge der noch ziemlich rohen und unbändigen Freyheit der Nation. Um sie an Gerichte zu gewöhnen, musste dem Richter so wenig zu thun übrig bleiben, als nur immer möglich war. — Neque uero talem iniurias vindicandi modum maioribus nostris proprium fuisse, existimandum, ex quo non solum apud *Romanos*¹⁾, sed et inter *Athenienses*²⁾ et *Israelitas*³⁾ olim circa uulnerationem idem talionis ius, bellique priuati redemtioni tamen pecuniariae obnoxium obtinuisse, euictum est.

- a) CONF. AD. FERGUSON *Versuch über die Geschichte der bürgerl. Gesellschaft*. Leipzig 8. 1768 P. II. ib. *Von der Geschichte roher Nationen*.
- b) TACITUS de M. G. c. 10. Hinc eleganter cel. MOESERUS in der *Osnabrückischen Geschichte*. P. I. edit. nou. de a. 1780. p. II. ait: Ieder Hof war gleichsam ein unabhängiger Staat, der sich von seinem Nachbar mit Krieg oder Friede schied. Ieder Haus-Vater handhabte seinen eigenen Haussfrieden, und wie sie sich mehrerer Sicherheit halber verbanden, ward diese Befugniß nicht aufgehoben. Keine Obrigkeit und vielleicht nicht einmal eine gemeine Gottheit erstreckte sich in eines Mannes Wehre.
- c) TACITUS c. 12.
- d) Optime Germanorum mores hac in re illustravit. IO. CHRIST. MAIERUS in *bistoria iuris germ. antiquissimi circa homicidium*, Jenae 1770.

e) TAC.

- e) TACITVS c. 21. antiquis sibini idem militiis etiam in invadere. eum invadere. eum invadere. eum invadere.
- f) Idem c. 12.
- g) conf. ROBERTSON. Geschichte der Regierung Kaiser Carls V. editio nov. Remeri, Braunschweig 1778 P. I. p. 63 sq.
- h) c. 20. apud GEORGISCH in corpore iur. germ. antiqui p. 47 sq.
- i) t. 1—6 Ibid. p. 150.
- k) t. 59. Ibid. p. 222 sq.
- l) t. 3. Ibid. p. 277.
- m) t. II. Ibid. p. 349. t. 48. p. 372.
- n) addit. t. 2. Ibid. p. 434.
- o) t. I. Ibid. p. 454.
- p) ratio perspicua est ex Prologo legis Salicae: placuit atque conuenit inter Francos et eorum proceres, ut propter seruandum inter se pacis studium omnia incrementa veterum rixarum resecare deberent, ut iuxta qualitatem causarum actio criminalis sumeret terminum.
- q) Geschichte der Deutschen P. I. Illm 1778 p. 187.
- r) leg. XII Tab. VII si membrum rupit, ni cum eo paicit, talio esto.
- s) PETITI Leges Att. L. VII t. 3.
- t) conf. eques MICHAELIS im Mosaischen Recht P. V § 240, ubi simul generatim eos antiquorum hominum mores optime illustrat.

§ V.

CONTIN VATIO.

Eadem Germanorum consuetudo cum caeteris libertatis naturalis uestigiis, ab antiquo statu irregulari superstitionibus, sequenti

C

quenti



quenti tempore, etiam ubi iudicia curatius adornata inueniuntur, perduravit. Hinc in legibus quoque medii aevi, nempe speculo Saxonico, Sueuico, *Iure caesareo* aliisque legibus prouincialibus illius temporis quaevis uulnerationes atque corporis mutilationes, definita in plurimos casus certa aestimatione pecuniaria (*Buße*) restitui debuerunt. Ita auctor Iur. prov. Sax. ait: *Der Mund, Nafen, Augen, Zungen und Obren, und des Mannes Ge- meckte, Hende, und Vüze, der iclich, wird der Mann daran gelebmet, und soll man es ihm bezzern, man muz ez ibme gelden mit einer balben Weregelde.* *Iclich Finger und Zene hat sine sunderliche Buze, nach deme daz ihm an dem Weregelde gebürt sin zeendte teil.* — *Wundet man auch einen Mann an ein Glied, daz ihm vergülden ist vor Gerichte, vorvet man es ihm san füher abe, ber in mac nich ein hoer Gelt dar erwordern, denne sine Buze^a).* Ad idem tendit, sed durior adhuc fuit Iuris prouincial. Sueuici dispositio, ubi laeso electio conceditur, num uulnerantem talione afflendum uidere an satisfactionem pecuniariam accipere uelit: *Schlägt ein Mann dem andern der eynes ab, man soll im das bynuoider thun.* *Man soll auch dem Richter keyn Busse geben ob es also gerichtet wurd.* *Wöltent sie aber die Pfenning nehmen, den der Schad beschicht, das thund sye wvol, das fleet an in, und nicht an dem Richter^b).* *Vbi tamen uaria e legibus aliis, non satis intellectis, atque pro hinc sp more*

more illius aeui incaute applicatis depromta uidentur. Conspirat etiam cum principiis hactenus indicatis IUS CAESAREVM^c). Ex illis autem legibus eadem compositionis pecuniariae consuetudo usque ad recentiora tempora sub nomine *des Schmerzgeldes* fese propagauit, ita ut a plerisque pro iure communi habeatur, et ex Auditorum allegatorum, praesertim cel. QVISTORPII sententia etiam tum, cum poena publica corporalis aut pecuniaria irrogata est, et quaevis damna ad computum actionis legis aquilie utilis spectantia restituta sunt, tamen simul etiam uulnerans ad dolorum pretium seu emendam illam antiquam et priuatam soluendum condemnari debeat.

a) *Ius prov. Sax.* L.II. a. 16. 17. edit. Gaertneri.

b) *Ius prov. Suevic.* edit. Senkenb. c. 118.

c) *Ius caesareum* edit. Senkenb. L.II. c. 25.

GENVINA RATIO COMPOSITIONIS PECUNIARIAE
EVOLVITVR, EAMQVE HODIE CESSARE
DOCETVR.

Iam uero, cum finem illius compositionis pecuniariae atque genuinam rationem indagamus, in aprico est, eam i) comprehendisse damni uulneratione dati reparationem. Praeter eam enim sum-



main pecuniariam, ad omnes casus certo modo determinatam,
 nulla alia actio rei persecutoria locum habuit. *Eius damni meminit Speculator Sueus: Der Richter sol seben an des Mannes Laster, und an seinen Schaden, und beissen in darnach biessen*^{a)}. Praecipue autem compositiones illae pecuniariae, quae ad euitandos effrenatos vindictae naturalis excessus, atque circumscribendam uagam bellii priuati, et talionis libidinem inuentae sunt, poenae rationem habuerunt. *Quamuis enim quiuis, qui ad emendam (Busse) uulnerato soluendam obligatus erat, simul et iudici multam (die Wette) offerre debuit secundum proportionem emendaef.* compositionis principalis quidem computatam, sed minori tam summa e.g. decima compositionis parte consistentem^{b)}, cuius multae iam apud TACITVM prima uestigia inueniuntur: *Pars multae regi uel ciuitati, pars ipsi, qui vindicatur, uel propinquis eius exsoluitur*^{c)}; ea tamen pecunia, quae et fredum, bannumque alibi uocata est, et sportulae, iudici pro impetrata ab illo pace oblatae speciem habuit, impedire neutiquam potuit, quo minus compositionis principalis f. emenda, uulnerato soluenda poenam proprietalem repraesentaret, qualis poenae priuatae consuetudo, Romanis quoque solemnis, primis uitiae ciuilis lineis omnino conueniebat. Hinc cum in *Jur. prov. Sax.* membra etiam aliunde iam invalida alteri absessa aut mutilata compositioni plenae subiiciuntur,

lepide

lepine glossator rationem compositionis poenalem explicat: *Düs aber gesicht darum, weil man solch Webrgeld wegen eines Verwavrlosung gibt, dadurch einem andern webe geschiebet, und dann einem Lamen ja so webe mag geschehen als einem Gefunden, darum, weil er gleich schovelre Webetage leidet, bat er auch billich gleiche Buß und Bufferung zu fodern — Die ander Ursach ist, dass man die Buß zur Bekennnijs gibt, dass der sie gibt, habe an jenem Unrecht gethan, wvelchem er sie gibt. Weil dann dieses einen lamen Mann ja so sehr beschemen kan als einen gefunden, so verbüft man es ihm auch billich also, als einem gefunden d).*

a) *Ius prov. Suev. c. 105.*

b) *I. P. S. c. 53. Ius prov. Suev. c. 96.*

c) *TACITVS c. 12.*

d) ad *I. P. S. L. II. c. 20.*

§ VII.

**COMPOSITIONVM RATIONEM HODIE
CESSARE, DOCETVR.**

Verum enim uero hodie omnes illae circumstantiae plane deficiunt, quibus olim poenas uulnerantium priuatas, nempe compositiones pecuniarias s. dolorum pretia, de quibus sermo nobis est, accommodata fuisse, demonstrau. 1) In uulgu enim no-

C 3

tum



tum est, Processu inquisitorio in Germania recepto, iudicem competentem ex officio in quasuis iniurias praesertim reales, inquire, easque aut poena corporis afflictiva, carceris, aut pecuniaria pro diuersis dolis gradibus secundum prudentis iudicis arbitrium determinanda, quam Dominus iurisdictionis sibi vindicat, coerceri^{a)}. Et quamvis in nonnullis prouinciis pro cuiusvis loci consuetudine ac moribus etiamnum quarundam uulnerationum determinata ac perpetua existit aestimatio poenalis, ideoque cel. MOESERUS obseruauit: *man lacht jetzt über dergleichen alten Gesetze, und lässt sich dafür von jeder Obrigkeit als ein Knecht nach Willkür strafen. Es wird aber kein Land seyn, vorinn sich nicht noch eine gewisse Bruchtentaxe findet, so dass z. e. eine Ohrfeige, ein Schlag etc. seine gewisse feststehende Geldstrafe hat, welche ein Beamter nicht erhöhen soll^{b)}*; haec tamen emenda tanquam pristinarum compositionum uestigia neutiquam priuatorum patrimonio relinquuntur, sed potius a iudice exiguntur^{c)}. Ergo, cum hodie poena publica priuatam omnem absorbet, ideoque et Romanorum actiones poenales ad nostrum statum applicari haud posse, plerique conueniunt^{d)}, nulla supereft ratio, cur Germanorum veterum poenas priuatas, itidem non nisi ad societatis incuntis ingenium accommodatas, mutato statu publico, applicemus. Neque obiciendum, poenas hodiernas publicas in locum mulctae antiquae iudici

mutu

e

iudici offerendae (*der Wette*) transiisse, ideoque tamen priuatam
 poenam simul locum inuenire: Id enim minime affirmari potest,
 cum hodiernae poenae publicae ratio longe diuersa est ab illa
 Germanorum mulcta, eamque, ubi praesertim arbitrio iudicis de-
 terminatio relinquitur, grauitate superat, deinde, ubi etiamnum
 obtinet certus aestimationum catalogus (*Bruchtentax*) ille emen-
 dam et multam antiquam simul comprehendere atque exclusis
 priuatis a iudice solo exigi solet. Hinc sequentem regulam ho-
 die formandam esse censeo: *dolorum pretium hodie adiudicari neu-*
tiquam posse iure communi, nisi speciali prouinciae lociue consuetu-
dine iudex a poena publica exigenda abstineat, eiusque loco priuatam
laesorum patrimonio inferendam permittat. In eo uero disquisitio
 mea haud uersatur, num forsan ad publicam securitatem salu-
 temque conduceret, poenam priuatam postliminii iure restau-
 rare, licet de hodierna eius utilitate ualde dubitem. Quam
 primum autem poena priuata decernitur, publica omitti de-
 bet, et uice uersa. Prouoco insuper ad *Werigeldi* analogiam,
 cuius hodiernum usum non nisi ad particulares Saxoniae consue-
 tudines referunt ^{e)}. Cur autem queso non dolorum quoque
 pretium, cuius eadem est ratio, a iuris communis regulis re-
 mouent, atque ad particulares prouinciarum consuetudines re-
 legant? Deinde cum in Saxonia ipsi *Werigeldo* non aliter lo-

cus



cus datur, quam si reus poenae corporis afflictuae haud subiicitur f), quomodo quoefo cum poena uulnerationum publica priuata simul conciliari poterit? 2) Cessat etiam hodie compositionum ratio, quatenus ad priuatam damnorum persecutionem agitur, quoniam omnia eo spectantia, operae in praesens et futurum cessantes, impendia curationis, damna deformitate ac cicatricibus accepta sub actione legis aquiliae utili comprehenduntur, quo sane dolores, quibus solis patrimonio nihil decedit, referri haud possunt. Et omnino quoque sanior est iuris romani hac in re dispositio, quod pro cuiusuis facti circumstantiis peculiam damnorum aestimationem permittit.

- a) KOCH *Infl. iur. crim.* § 425. BOEHMER *ad Carpov.* qu. 97 obs. 4^o
QUISTORP *Grundzüge des teutischen peinl.* Rechts § 316.
- b) MOESERV S I. c. § 19. IDEM *In den Patriotischen Phantasien*
P. I. Berlin 1778. n. LXXI. ibi: Zufällige Gedanken bey Durch-
lesung alter Bruch- Register.
- c) Conf. IO. GOTTL WEIDLER, *de eo quod iuris circa multas sue*
poenas pecuniarias. Wittemb. 1746.
- d) Conf. THOMASIVS *de exiguo actionum poen. usu in foris Ger-*
maniac.
- e) V. ALBR. KAESTNER *de Werigeldo,* Lips. 1742.
- f) PÜTTMANN *El. iur. crim.* § 307.

§ VIII.

§ VIII.

RESPONSIÖ AD CEL. QVISTORPII ARGUMENTA
ET QVIDEM I^{mum}.

Supereft, ut adhuc breuiter ad illa argumenta respondeam, quibus cel. QVISTORPIVS aliique obligationem soluendi et adiudicandi dolorum pretium inter iuris communis hodie recepti placita referunt. Quod uero ad argumentum I^{mum} ab usu forenfi, quibus mores Germanorum antiqui usque ad nostra tempora circa dolorum pretium seruati sint, desumptum, attinet, in praecedentibus satis superque docui, talem morem non nisi ad consuetudines particulares et prouinciales spectare, et neutiquam inter ea iuris capita, quae in uniuersum atque in dubio obseruanda sunt, hodie referri posse. Quod enim generatim Illustr. PÜTTERVS monuit: man könne mit sogenannten Inductions-Schlüßen von mehreren einzelnen statutarischen oder andern besondern Rechten auf ein allgemeines teutsches Recht nicht bebutsam genug zu Werk geben^{a)}, id omnino et in hoc iuris capite applicandum est. Obseruantur enim in diversis Germaniae prouinciis circa iniuriarum animaduerfiones principia admodum differentia, uti et de Werigeldi usu supra iam monui. In dubio uero magistratu*i*us competit, poenam publicam a reo exigendi, quae priuatam tollit. Deinde iam dudum



cautum legum Germanicarum antiquarum usum docuit ICtus
 cel. STRVBEN^{b)} notumque est, cum et olim maxima iuris
 consuetudinarii diuersitas in singulis prouinciis ac pagis obtinuerit,
 multo magis hodie ea tantum capita nos obligare, quorum
 obseruantia specialis testimoniis satis grauibus demonstrari potest.
 Noui quidem, ICtos iuri romano nimium addictos ad excessum usque rigidos fuisse, circa talium consuetudinum probationes,
 ideoque Nostrates duplex ius commune in Germania statuere coe-
 perunt, unum *Romanum*, et alterum *Germanicum*, quoniam et inter
 Germanos quantumuis iure maxime particulari uiuentes uaria ta-
 men iuris principia generalia obtinuerunt, Reipublicae germanicae,
 situ, moribus et reliquo statui conuenientia, quae olim aut ab
 omnibus, aut a certis saltim ordinibus obseruata ad nostrum usque
 aeuum ob rationis atque circumstantiarum paritatem sese con-
 seruarunt^{c)}. Dantur quoque alia iuris germanici principia com-
 munia, peculiari quidem reipublicae formulae haud propria, sed
 a lana ratione et aequitate naturali profluentia e. g. pactorum nu-
 dorum obligatio, pactorum successoriorum facultas etc., ubi jus
 commune germanicum ideo iure communi peregrino praे-
 rogatiuam meretur, quoniam in hac re contrariorum iuris ro-
 mani capitum particularis et localis fuit ratio, ad nos minime
 quadrans. Verum enim uero, cum ea omnia ad praesentem
 doctri-

doctrinam proprius applicare studeo, neque in Reipublicae germanicae statusque iudicarii forma hodierna, neque circa sanæ rationis aut aequitatis naturalis praecepta quicquam inuenire potui, cui dolorum aestimatio pecuniaria satis respondeat. Si enim a) ad damni uulneratione dati reparationem respicimus, nemo sane legibus romanis et actioni legis aquilliae utili praerogatiuam denegabit, quod talia damna, non, ut leges germanicae antiquæ, perpetuo calculo subiiciunt, sed ad diuersas factorum circumstantias respici, iubent, eorum tantum, quæ aestimationem admittunt, rationem habent, atque dolores, quibus patrimonio nil decedit, a rei persecutionis calculo remouent. b) Si uero compositiones illæ pecuniariae germanicae, ad quarum reliquias dolorum pretium spectat, tanquam poenae considerantur, tum item quilibet concedet, antiquum Germanorum statum, rei iudicariæ defectus, atque belli priuati iura, quibus momentis illæ superstrucæ erant, hodie cessare, et quoniam processu inquisitorio introducto, aucta tranquillitatis publicæ cura, et iudicium potestate ad eam firmandam habili, hodie poenæ publicæ a magistratu hisce casibus decernuntur, priuatae uindictæ rationem deficere ex iisdem principiis, quibus etiam aduersus actiones poenales in legibus romanis fundatas ab innumeris iam pugnatum est. Id quidem olim nimio Iureconsultorum, instituta patria tuerint ardori indul-



indulgendum fuit, cum nonnunquam eodem fere momento, quo de incongruis iuris romani applicationibus questi sunt, obsoleta iuris germanici antiqui capita in lucem protulerunt, quorum tamen apud nos recentiori tempore aequa cessauit ratio. Nos uestro, abiesto partium studio, tranquiliiori animo utriusque iuris communis tam romani quam germanici genium indagare, decet.

a) *In den Beiträgen zum teutschen Staats- und Fürstenrecht.* P. II.
Göttingen 1779. p. 71.

b) *Vom Missbrauch und guten Gebrauch der alten teutschen Rechte,*
Nebenstunden P. V. p. 79.

c) III. RÜTTERI obs. *Erhebliche Folgen des Sazes dass es zweierlei
gemeine Rechte in Teutschland gebe.* In den Beiträgen. I. c. pag. 93.

§ IX.

RESPONSIO AD ARGUMENTVM II^{dam}.

Deinde alteri quoque argūmento e constitutionis criminalis carolinae art. XX. defumto facile satisfieri potest. Quamvis enim concedam, a casu speciali iudicis inique torquentis, ad doloris pretium soluendum obligati, ad alias quoque uulnerationes conclusionem ualere, id tamen 1) praeципue notandum est, poenae simul publicae iudici irrogandae in eodem articulo mentionem nullam fieri a). Atqui cum haec, ut omnino hodie fieri debet, aduersus iudicem, excessum iniurio-

sum

❧

sum committentem decernitur, ideo et poenam priuatam s. dolorum pretium cessare, necesse est. Deinde 2) Constitutio crim. Car. uaria continet non solum solum iuris romani sed et germanici antiqui capita, quorum hodie nulla statuitur applicatio. Sic e. g. poena dupli et quadrupli in furto paruo^{b)} hodie deseritur, et publica poena infligitur; sic in locum poenae talionis ob falsa testimonia, temerarias accusationes, famosos libellos statutae^{c)} arbitriae hodie decernuntur. Et sic quoque poenae priuatae s. dolorum pretii, cuius art. XX. meminit, ratio hodie cessat, ob uindictam publicam, cuius ambitus eo, quo Carolina lata est, tempore, tam late nondum patuit.

a) Neque clarioria sunt verba art. LXI, und sollen darumb nach Gestalt und Gelegenheit der Überfarung, wie Recht ist, Straf und Abtrag leiden etc.

b) a. 157. 158.

c) a. 68. 107. 110.

§ X.

RESPONSIO AD ARGUMENTVM III^{tiuum}.

Neque etiam in legibus romanis solarium pro illius pretii iustitia quaerendum est. Postquam enim certa illa iniuriarum pretia, etiam apud ueteres Romanos, Germanorum more, legibus XII tabb. definita, ob mutatas temporum rationes in fluctuinem abierunt, et nil iuuarunt, ideoque teste A. GELLIO^{a)}

Lucius



Lucius quondam Veratius fuit homo improbus et immani uerberia,
 qui pro delectamento habebat os hominis liberi manus suae palma
 uerberare, quem et seruus sequebatur criminem plenam assuum
 portans, et quemcunque dominus depalmauerat, ei numerare
 statim secundum XII Tabb. XXV asses iussus; tum quidem Prae-
 tores antiquam taxam abolere coeperunt, iniuriisque aestimandis re-
 recuperatores se datus edixerunt, unde actio iniuriarum aestimato-
 ria penalis originem trahit, cum actione rei persecutoria legis
 aquilie simul competens, cuius elegans existit in Institutionibus Iu-
 stinianeis descriptio: *Poena iniuriarum ex lege XII Tabb. propter
 membrum quidem ruptum talio erat, propter os vero fractum erant
 numariae poenae constitutae, quasi in magna ueterum paupertate.*
 Sed postea Praetores permittebant ipsis, qui iniuriam passi erant,
 eam aestimare, ut iudex uel tanti eum condemnaret, quanti iniuri-
 am passus aestimauerit uel minoris, prout ei usum fuerit. Sed
 poena quidem iniuriarum, quae ex lege XII Tabb. introducta est, in
 desuetudinem abiit: quam autem praetores introduxerunt, quae et-
 iam honoraria appellatur, in iudiciis frequentatur. Nam secun-
 dum gradum dignitatis uitaeque honestatem crescit aut minatur ae-
 stimatio iniuriae b). Imo etiam lege Cornelia ob iniurias praec-
 cipue pullando, uerberando, domum introeundo illatas, praeter
 ciuilem praetorianam, Criminalis persecutio et poena publica intro-
 ducenda

ducta est ^{c)} , quod et ad alias iniurias postea extensum ^{d)} . Verum enim uero probe notandum est , actionem illam aestimatoriam poenalem priuatam et criminalem persecutionem non nisi alternatiue competuisse , ita , ut , una a laeso electa , altera cef- faret . In summa enim ait Imperator IVSTINIANVS , sciendum est , de omni iniuria , eum , qui passus est , posse uel criminaliter agere vel civiliter . Et si quidem ciuiliter agitur , aestimatione facta secundum quod dictum est , poena reo imponitur . Sin autem criminaliter , officio iudicis extraordinaria poena reo irrogatur ^{e)} . Ergo in eodem tum statu fere Romanii uersabantur , quo nos hodie ; Simul uero perspicuum est , ab illa actione romanorum aestimatoria , si quoque ea cum dolorum pretio comparatur , ad absolutam huius obligationem ne minimam quidem ualere conse- quentiam , sed cum iam romano iure laeso electio alterutrius remedii tantum competeret , multo magis hodie , processu inquisitorio introducto , poenam publicam , cuius exactio iudici competit , pri- uatam atque dolorum pretium absorbere .

a) Noft. Att. L. XX. c. I.

b) § 7. I. de iniur.

c) L. 5. § 1. D. de iniuriis. L. 37. § 1. D. eodem. Conf. PAULUS recept. sent. V. 4. 8. Conf. g. l. l. BOEHMER de abigeatu et furto equorum § 4. in Elec^t. iur. ciu. T. III. n. 21. p. 244.

d) § 10. I. de iniur.

e) § 10. I. l. c. L. 6. D. de iniur. L. 7. § 1. D. de iniur. I. un. C. quando ciu. act. crim. praei.


ULB Halle
003 331 415

3



TA-OC





13 1781,2 14

DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA
DE
**VVLNERATIONVM
SATISFACTIONE**
E GERMANORVM LEGIBVS
CAVTE DERIVANDA

QVAM
DIVINIS AVSPICIIS
AVCTORITATE
INCLYTI ICTORVM ORDINIS
PRO LICENTIA
SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES
AEQVE AC PRIVILEGIA DOCTORALIA
RITE CONSEQVENDI
PVBLICE DEFENDET
IOANNES ANDREAS FRIEDERICH
NORIMBERGENSIS

D. xxx APR. ccccclxxxix

ALTDORFII
IMPRESSVM LITTERIS MEYERIANIS

